



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Exercitia S. P. Ignatii Via Ad Salutem Et Perfectionem
Propriam & alienam, Tuta & perpetuo tenenda**

Ignacio <de Loyola>

Hildesii, 1713

VD18 13664689

Meditatio prima De Inferno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60348](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60348)

NB. Hoc die aut sequenti facienda confessio generalis, de hac agit S. P. pag. 47.



Dies quarta.

DE NOVISSIMIS HOMINIS.

DE inferno solo Meditationem habet S. PATER suggerit tamen ipsemet circa finem ejusdem Med. posse etiam addi alias, ac plures Meditationes de morte, de judicio &c.

Scopus est: *Ut si quando me ceperit divini amoris oblivio saltem à peccatis supplicii timor coërceat.* Cum verò intendat S. P. non solum omne remove peccatum, sed ad finem hominis & perfectionem expiatis peccatis perducere: hinc ad scopum harum Meditationum etiam pertinet, ita nunc ex Meditatione novissimorum affici intellectu & voluntate erga finem hominis, erga media, honorem & contemptum, prospera & adversa, peccata, & virtutem &c. uti afficiuntur nunc damnati, tūque afficeris certò in morte, judicio, æternitate, purgatorio; ideoque nunc agere, quod tunc & istic actum velles; idque nunc agere ita, ac si illa proxima essent, mors, judicium &c.

Meditatio prima

DE INFERNO.

Oratio preparatoria pro more.

Præludeum primum: *Est compositio loci, subjecta oculis imaginationis inferni longitudine, latitudine, ac profunditate.*

G 3

Prælu-

Prælude secundum. Consistit in poscendâ intima pœnarum quas damnati luunt apprehensione, ad scopum supradictum.

Intellectus.

Punctum primum

Speclare per imaginationem vasta infernorum incendia, & animas igneis quibusdam corporibus, velut ergastulis inclusas. Hæc & sequentia conspicienda sunt in eo gradu supplicii, quem meretur offensa divinæ infinitatis: ita ut omnia essent summè crudelia (jæcturâ, dolorum multitudine, intensione, duratione, sensu animi & corporis) nisi ob Dei majestatem, & bonitatem essent nunc summè justa. Pœnæ magnitudinem sic etiam æstima. Est malum supra omne malum pro quo infligitur, D. 2. itaque & pœna supra omnem pœnam. Est bonum supra omne bonum, & infinitum, cujus offensa vindicanda est. D. 1. M. 1. 2. D. 8. Est sapientia infinita, quæ invenit gravitatem tormenti; est justitia infinita quæ decernit, potentia infinita, quæ exequitur. Dolor & pœna super omnem

Voluntas.

*Ad singula sit
viva fides.*

Admiratio magna tam horrendorum &c.

Timor tantus merito, quantum malum est; & tibi & alienis animabus: Dei, etiam amore.

Conatus evitandi ista, par timori.

Humillima adoratio divinæ justitiæ etiam in tanta severitate laudanda.

dolo-

Intellectus.

dolorem : quanta ! infinitæ excellentiæ, sapientiæ, justitiæ, potentæ infinitè læsæ, & infinitè iratæ, inimicæ : serâ, exquisita, inimica vindicta, & afflictio in mutuo summo odio, & æterno contra inimicum vilissimum. Hinc est infernus summum & omne malum sine ullo bono.

Considerandum, quinam ista patiantur? vixerint ante aut post Christum &c. nihilo tu illis es per vilitatem, & malitiam melior (ex *Confid.* die 1. die 3. *Med.* 1. 2.) quo minùs idem tibi eveniat. Ob quam patiuntur causam? ob peccata quæ tuis similia, etiam minora, & pauciora; quibus viis eò pervenerunt? sæpè peccatis venialibus; negligendo finem, & media; sui amore, & rerum creatarum, detractando ardua pro fine. Et quid nunc sentiunt de suis peccatis? de fine, de mediis, si haberent? quid de rebus prosperis, & adversis? &c. quid prospera profunt ad evitandum infernum? imò quantum eò abducunt!

Conclus. pract. Inferni iusto ti-

Voluntas.

*Major æstima-
tio divina excel-
lentiæ, ex gravi-
tate pœnæ.*

Gratiæ maxi-
mæ Deo, & Chri-
sto quod in infer-
no non sis, idque
Dei in te amore &
beneficio.

*Idem Sanctis, &
B. V. aliisque, quo-
rum patrocini-
o liber es.*

Intellectus.

more ab omni peccato remotissimè cavendum; abstinendum periculosis mundi bonis.

Studendum rebus perfectis, &c. idque etiam amore illius, cujus amore, & beneficio non ardes nunc in inferno. Deinde quid ad istas pœnas omnia adversa hujus sæculi? an detrectanda? quàm perfecta debes deo, cujus beneficio hisce liber es

Punctum secundum.

Audire imaginariè planctus, ejulatus, vociferationes, atque blasphemias in Christum, & Sanctos ejus: tam alto clamore, & blasphemiam &c. quantus est dolor, ex tanta causa, cum odio Dei. Cætera, ut p. I-

Punctum tertium.

Imaginario olfactu fumum, sulphur, & sentina, seu fœcis, atque putredinis graveolentiam presentire. Quanta fœditas etiam animarum! uti suprâ p. I.

Quartum. Gustare similiter res amarissimas, ut lacrymas, rancorem, conscientia vermem. sicut p. I.

Quintum. Tangere quodammo-

Voluntas.

Detestatio tantò major omnium peccatorum præteritorum, tantus horror, quantus esse solet ex imaginatione vicini, sed evitari præcipitiis.

Proposita & Colloquia, congrua conclusioni, & re-

do

Intellectus.

do ignes illos, quorum tactus anima ipse amburuntur. Pauca, sed magna imò infinita, credenti, & expendenti hanc esse officinam divinæ justitiæ, & iræ æternæ infinitè laceffitæ.

Conclus. pract. & reflexio uti aliàs.

Voluntas.

flexioni; Colloquia etiam ad Patronos felicis mortis.

Pater noster.

Meditationis primæ Compendium.

Inferni pœnas percipere imaginario quodam

{	1. Visu	--	4. Gustu.
	2. Auditu	--	5. Tactu.
	3. Olfactu.		

NB. De Purgatorio institui potest Meditatio eo modo, quo de inferno. Similia utriusque tormenta: excipe æternitatem, desperationem, blasphemias. *Vide* ergo animas sanctas te meliores: *Audi* easdem in horrendis pœnis ab amico Deo inflictis &c.

Meditatio secunda

DE JUDICIO.

Proximè ante infernum, aut purgatorium præcedit *Judicium*, de hoc Meditatio fieri potest per quinque puncta, & imaginarias applicationes sensuum: sicut Med. 1. hac tamen ratione, ut quæ vides, vel audis non in aliis tantum, sed etiam ac maximè in te ipso velut constituto coram Judice videas, & audias.

Oratio preparatoria, & præludia sicut Med. 1.

G §

Puis